

QUÆSTIO MEDICA
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 12. Novembris.

M. JOANNE ROBERT
DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An instante febrium excandescentiâ, accessione, purgandum?

I.

FEBRIS, vulgare maximè morbi genus, calor est igneus præter naturam in corde, quod nativi fons est, tanquam in propriâ sede accensus, ab eóque per arteriarum tubos quoquoversum sparsus. Hic omnes, quarum ille author est, functiones lædit, aliàs leviùs, aliàs atrociùs. Nunc enim fervor, unde morbo nomen, ingens est; nunc tolerabilis: nonnunquam eodem quo exarsit die sopitur, nonnunquam in plures porrigitur. Et quæ diu malè habet febris, nunc continuum tenorem obtinet, nec ante minuitur, quàm sit prorsus extincta; nunc sine integritate liberaliter remittit, rursúsque intenditur: nunc ex toto intermittit, statisque accessionum atque decessionum vicibus redit, ac desinit, quartâ, tertiâ, alterâ quáque luce: modò accessiones singulæ, singulis diebus fiunt; modò binæ, pluresve concurrunt, unaquáque priori respondente. Interdum verò sic confunduntur; ut febris videatur informis & inordinata, notarique neque earum tempora, neque spacia possint. Est & ubi penè sola viget; est ubi sub ea dolet caput, premit

782

somnus, tumultuosa sunt somnia, oculi cum dolore vertuntur, aspera est lingua, difficilis spiritus, intenta præcordia, loqui piget, cruciat sitis, cibum non continet stomachus, fluit alvus, membra inhorrescunt, corpus lassitudinem sentit, jactatur, sudore digeritur.

II.

QUEMADMODUM in epilepsia, cerebrum; sic in febre, cor afficitur; ut illa nusquam sit, nisi hoc æstuet. Suscitatus igitur in corde primùm æstus, legitimam & primariam facit febrem; aliunde adveniens, notham quámque vocant symptomaticam, modò continenter, modò ex intervallis tantùm vexantem; nec semper ideo securam periculi. Cùm peregrinus calor imis validissimi visceris medullis insedit altissimè, fit febris hectica primariarum perniciosissima. Reliquarum sive assiduarum, sive interpolatarum causa humor est flagrans, plerumque alienus, cordis sinubus, vel ei vicinis majoribus vasis inclusus, qui sæpius fervet, ebullit, aduritur; raro corrumpitur; nunquam putrescit, quin relinquenda sit anima. Tamdiu autem febris hominem devorat, quamdiu subest pabulum, quod sicubi copiosius est, spissius, viscidius, continuatur febris; si, velut ab igne stipula, citissimè, priusque absumptum est, quàm novum affluxerit ad incendij locum, febris, veluti pactis cum laborante induciis, intermittit, toties revictura, quoties è parte, unde morbi origo scatuit, nova accedet seges atque materia ad colligendum ignem paratissima. Qui tamen multiformis istius febris principium certis affigunt partibus, ceu Caucaso Prometheum, ventriculo scilicet Quotidianam, Tertianam jecori, Quartanam lieni, risu magis, quàm rationibus explodendi: una quippe harum omnium parens est bilis; ut plurima, quotidianam; parcior, tertianam; perpauca, sed perusta, rancida, quartanam; vitellina, virens, æruginosa, sævissimam; flava, rufa, mitiorem; pallida quæ modestior, mitissimam pariat.

III.

FEBRIUM non una est indoles; ubi sanguis citra putredinis labem flammatus pari usquequáque vehementiâ cor lacessit, febris nullâ excandescentiâ, nullâque intermissione infestat; ut ejus, dum integrè solvatur, una sit quasi accessio; quæ si duntaxat ad unum, ephemera; si ad plures producitur dies, dicitur σύνοχος infrequens morbus. Præter has, incandescunt cæteræ, quòd fervidior seu expiratio, seu illuvies per patentes, occultasve vias acta, quasi turbine cor jam ardens percellat, ejusque conduplicet ignem, qui in omnes mox partes elapsus, totum corpus flammis involuit, furórisque velut effusis habenis latè vastat omnia. Inde mens ægrotantis pigrior est, aut nulla, sensus tardior, rigent aut scintillant oculi, it naribus sanguis, in vultu, unde forma recessit ac fulgor, varius errat color, aliusque ex alio fit, tacitè surgit lutea cutis, deteriusve pallet, quàm celeriter currunt venæ, tam gravis est spiritus, guttur sulphuream mephitim exhalat, fauces urit sitis, quæ somnum dat & adimit bilis, tanquam additis pennis evolet,

per os exilit, fædiores sunt sublimioris tum ventris dejectiones, urina primùm decolor, rubet; quidquid demum malorum est, in hoc tempus erumpit, nec alio mors ægros occupat: quod nisi fit, paulatim compressâ humoris mutâ rabie, lux menti, vigor sensibus, laxamentumque corpori pristinum redditur. Simile quid evenit quoties sub accessionem febrium quæ certum habent circuitum, venæ solitam flammam accipiunt, notusque calor toto descendit corpore.

IV.

PRUDENS medicus febres profligaturus, Naturam morborum præcipuam expultricem, & cura omni potentiorem, quâ cessante, nihil proficitur, in rebus quas, dum sui juris est, bene gerit, sedulò debet servare, ad ejusque unius leges sese componere. Hoc everso Medici Senatus edicto, sequitur artis, vitæque eversio. At illa semper febre decedente, aut discussâ, crises molitur; increscente, ineunte, aut etiam appropinquante, nunquam: ut, si quid tum prodit, inauspicatò, invitæque, ac gementi excidat. Planè ut purgationis opus ad bonos ducatur exitus, in una situm est temporis opportunitate, non quidem certis, & tanquam à Chaldæo petendis diebus illigatâ; sed tum primùm sapienter captandâ, cùm, quæ morbum fovet humorum lues, ab utili succo secreta posuit feritatem, seu quod idem est, quam hausit flammam. Ne igitur fit in eo pernicies, quod auxilij causa datur, considerandum quo distent accessiones, & exacerbationes, quantæ, qualesque inter eas remissiones sint, tum qualia tempora cibo leguntur, talia purgationi quoque deligenda. Ut porrò omni alimento prohibetur æger, dum febris instat, augetur, ac summa est; simulatque corpus ad integritatem venit, eo cum fiducia utitur: quin satius est ejus principia à desinente febre, quàm reliquias ab incipiente excipi. Sic purgans medicamentum, ut primùm febris destitit, aut si assiduè inhæret, sese inclinavit; tempestivè objicitur: & aliquantò maturiùs, si maturè timetur altera sive accessio, sive exacerbatio; quo nempe loco est integritas, eodem est remissio. Certè quisquis mollissimo tempore, nec impeditæ, sed suis viribus utentis Naturæ commodo sordes corporis expurgabit; aget cum ea certissimum de morbo triumphum.

V.

TERGUM rationi obvertunt, qui crudescentem febrem velut in herba succisuri, paulò antequàm recurrat, aut exacuatur, purgantem potionem ęgris fidenter impingunt, ultimòque ęrumnæ cumulo, si è Pharmacis validissimis fere virulentis conflatam. Fas quidem, exemplo rarissimo, obviam impuritatem in ipso corporis vestibulo oberrantem, exultantem, exundantem, nullisque repagulis continendam, sicut è stabulo lupum, protinus, quà repit, ejicere, raptis etiam cum quadam temeritate remediis. Dum verò pejor fit æger, morbus vocat Naturam ad certamen, cæcus calor intrò receptus angustos aditus malignè claudit, fel ferox, intractabile, in intimo corporis penetrali conditum, & à Regiâ viâ semo-

.784

tius inardeſcit, agitatum tumet, ignem venis ac præcordiis implicat, ruptiſque velut caminis, fumantem & piceam expirat fuliginem, quæ cordi offuſa, pulſum contrahit, vitæ commeatum intercipit; altiùs ſublata, lethæo quaſi rore madens cerebrum degravat; nemo, vel mentis obtuſioris, ſperet fœdi humoris cænum facilè ſecuturum, iterque per medios ignes inventurum, ſectum. Eâ re Medicus venit in culpam ægro luendam ſpiritu, vel ampliore, curandóque triſtiùs morbo. Ad biduum forte videbitur hic relevatus, & falſo uterque ducetur gaudio, ſi quid ſordium vi abreptum, caſúve è concuſſo corpore dejectum fuerit. At erit intus furiata illuvies, novos fluctus excitatura. Sed ſit cui non malè aliquando verterit felix ſic medentis audacia, non propterea iſtæc via præceps terenda; nihil enim niſi in quo extet judicij ratio, rectum eſt.

Non ergo inſtante febrium excandeſcentiâ, acceſſione, purgandum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Raymundus Vaslet. *M. Claudius Biendiſant.* *M. Carolus Baralis.*
M. Gabriel Dacquet. *M. Dominicus de Farcy.* *M. Ioannes Antonius Bourgaud.*
M. Claudius Berger. *M. Michaël Poinſart.* *M. Germanus Hureau.*

Proponebat Lutetiæ ANTONIUS DE SAINCT-YON, Pariſinus, A. R. S. H. MDCLXXI.

PARISIIS,
Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Typographi, viâ Citharæ.